

testatoris facienda est cum venia Summi Pontificis cui jura reservant plenam de piis actibus disponendi potestatem *Clem. 2. De religiosis domibus* ubi Glossa *v. Sedis Apostolicæ* notat 'per hanc litteram solum Papam posse alterare usum eorum quæ per fideles donata sunt'.

77. Tandem animadvertimus executoris testamentarii potestatem penitus cessare, semel ac expleverit voluntatem testatoris, nec eam perdurare, quamvis testator executionem commiserit alicui officio seu dignitati ex. gr. Parocho pro tempore alicujus Ecclesiæ vel Archidiacono etc. Hæc enim qualitas censetur posita ad designandam personam, quæ tempore mortis voluntatem defuncti exequi debeat, non autem ad perpetuandam potestatem executoris. Regula hujusmodi deducitur ex resolutione S. Congr. Concilii diei 25. Januarii 1873, in qua agebatur de testamentaria dispositione fundandi conservatoria mulierum exequenda a Parocho pro tempore cujusdam Ecclesiæ. (Acta S. Sedis vol. 8. pag. 546.)

TITULUS XXVII.

De successione ab intestato.

1. Cum testamentum non adsit, aut si testamentum fuerit confectum sed viribus careat, hæreditas ministerio legis transmittitur, et dicitur locum habere successione ab intestato idest successione legitimam. Modus, et diversi gradus successione a jure civili pro quolibet regno determinantur. Hinc nostra non refert de hac re theorias exponere. Principia ergo solummodo exhibebimus de successione in clericorum bona.

2. Ex dictis superius in præcedentibus titulis sequitur in bonis patrimonialibus, industrialibus et parsimonialibus clerici ab intestato succedere propinquos defuncti, scilicet hæredes legitimos *can. 7. caus. 12. q. 5. in Decreto*. Bona enim hæc pertinent ad plenum, et liberum dominium civile clerici et proinde in his bonis clericus uti civis consideratur, et jure laicorum utitur. Nullis autem exstantibus propinquis, qui a jure vocentur ad successione, Ecclesia succedit in qua clericus beneficium habuit *c. 1. h. t. et glos. ibi v. Traduntur*.

3. Si clericus defunctus beneficium in aliqua Ecclesia non habuit, succedit fiscus episcopalis. Ita DD. communiter. In *c. 2. h. t.* specialis dispositio est de successione intestata in bonis sacerdotis,

qui fuerat servus. Scilicet in quatuor partes dividi debent bona quarum una Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus, quarta propinquis adsignetur. In bonis vero beneficialibus superfluis succedit Ecclesia. Et quidem si clericus pertinebat ad collegium clericorum in Ecclesia ipsum collegium succedit, si solus fuerit, succedit in bonis is, qui in beneficio succedit. At in utroque casu sive collegium, sive novus rector aut possessor beneficii de bonis hæreditariis defuncti disponere debet, quemadmodum disponit de aliis bonis ecclesiæ. Ita in *c. 12. De Test.*

Plura autem quæ accommodari possent successioni ab intestato superius dicta sunt in expositione tituli præc. tum quoad clericos sæculares, tum quoad religiosos.

TITULUS XXVIII.

De sepulturis.*)

1. Jus Romanum edixit, sacrum et religiosum esse locum in quo sepelitur humanum corpus, ita ut locus reddatur sacer et religiosus, ipsa facta humatione cadaveris *ll. 2. et 44. ff. De religiosis et sumtib. funerum*. Ecclesia autem instituit ut benediceretur, et sacris ritibus religiosus redderetur locus sepulturæ fidelium. Hinc sepultura fidelium constituit objectum juris canonici. Sepultura in sensu tituli accipitur vel pro ipso loco ubi corpora fidelium ponuntur, vel pro jure fidelium habendi sepulturam. Hinc duplex tractatio.

Sit primum de sepultura prout ea designat locum depositionis cadaverum fidelium quo in sensu definitur: 'Locus auctoritate Episcopi benedictus in quo cadavera catholicorum pie decedentium sepeliuntur'. Antiquitus corpora fidelium prohibebantur in Ecclesiis sepeliri sed sepulchrorum sedes erant in atrio, aut in porticu, aut in exhedris scilicet claustris Ecclesiæ. Quemadmodum refert *can. 15. caus. 13. q. 2.* Ecclesia reservabatur humanis solummodo Episcopo aut abbati, scilicet prælatis, vel dignis presbyteris, aut laicis virtute fulgentibus, qui fama miraculorum ex hac vita decessissent. Ita in *c. 18. caus. 13. q. 2.* Locus in quo communiter fidelium corpora sepeliebantur, dictus est cœmeterium idest locus

*) Vide polemicam de sepulturis, apud Cavagnis, Jus publ. eccles. Lib. IV. n. 276—304.

dormitionis vel deponitorium *can. 1. caus. 13. q. 1.* eo quod corpora eorum qui in pace Christi mortui sunt, ob futuram resurrectionem dormire videntur. Deinde ex praxi inductum est, ut omnes indiscriminatim fideles, quibus interdicta non est ecclesiastica sepultura, intra Ecclesiam conderentur. Nostris vero temporibus iterum consuetudo invaluit ut pro cadaveribus humanis cœmeteria construerentur.

2. Ex jure canonum quis habere potest sepulturam vel propriam, vel communem, vel electivam. Propria est ea, quam quis in loco sacro sibi condidit vel est sepulchrum majorum suorum nempe gentilitium. In *c. 1. h. t.* Leo III. ait: 'Statuimus unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere'. Consonant *cc. 2. et 3. eod. in 6º.* Communis sepultura est cœmeterium, vel Ecclesia parochialis illius loci, ubi quis domicilium habuit vivens, et sacramenta percepit, divina audivit *c. 5. et 10. h. t.* necnon *cc. 2. et 3. h. t. in 6º.* Clericus beneficium non habens sepelitur in propria sepultura si eam habeat, secus in parochiali. Clericus vero beneficium possidens quod eum ad residentiam obliget, et ad servitium, in Ecclesia beneficii sui sepelitur. Ita Episcopus in Cathedrali, Canonicus in cœmeterio Capituli *arg. c. 1. h. t. et c. 2. eod. in 6º.* Verum si clericus beneficium possidens residentiam habeat in aliqua parœcia, ita ut in eadem bonis spiritualibus fruatur, in parochiali sepulchro conditur, nisi aliter exigat vel privilegium capituli, vel consuetudo legitime præscripta.

3. Religiosi, nisi adeo sint remoti ut non possint commode ad sua monasteria transferri, debent sepeliri in Ecclesia vel cœmeterio monasterii *c. ult. h. t. in 6º.* Si vero nimium a monasterio remoti decedant legem aliorum communem sequuntur. Novitii etiam religiosorum sepulchrum habent in monasterio.

4. Uxor in sepulchro viri reconditur *can. 2. c. 13. q. 2.* Vidua pariter, si proprium seu gentilitium non habeat, præmortui mariti proprium sepulchrum sequitur. Quodsi plures successive viros habuit in ultimi viri sepulchro sepelitur *c. 3. § mulier. h. t. in 6º.* — Viatores, hospites, peregrini qui in aliena parœcia breviter commorandi consilium habent si ibi demoriantur, in proprii domicilii parochia sepeliendi sunt, dummodo illuc commode, et sine periculo possint transferri; secus sepeliuntur in loco ubi decedunt *c. 3. h. t. in 6º.*

5. Tertium genus sepulturæ est sepultura electiva. Scilicet jure canonum omnibus licet sibi eligere sepulturam *c. 1. h. t.* immo etiam uxori, vivente vel defuncto viro suo, conceditur ut possit sibi eligere sepulturam *c. 1. h. t.* Etiam filius familias, si sit pubes, potest sibi eligere sepulturam *c. 4. h. t. in 6º.* Pater vero potest sepulturam eligere pro impubere filio, ubi adsit consuetudo *eod. c. 4.* — Religiosi qui nec velle habent nec nolle non possunt sibi eligere sepulturam, nisi adeo absint a loco monasterii ut commode ad monasterium transferri non possint. Ejecti a religione videntur sibi posse eligere locum sepulturæ, nondum enim ipsi amiserunt volendi, et nolendi jus idest libertatem. Adnotamus vero hodiernis moribus post inductas leges generales sepeliendi in cœmeterio communi, valere quidem adhuc antiquam regulam circa electionem sepulturæ, sed eligendam esse sepulturam vel in Ecclesia quæ gaudet jure tumulationis, vel in aliquo determinato cœmeterio. Ad rem faciunt resolutiones S. Congr. Concilii *diei 16. Febr. 1867, 21. Martii 1871 et 25. Augusti 1877.* Ex his resolutionibus deducitur principium sequens idest publici cœmeterii institutio non lædit omnimodo jura Ecclesiarum, et fidelium quoad funera. Quæcumque autem sit sepultura sive propria sive electiva, sive in Ecclesia, sive in cœmeterio, servanda semper est dispositio S. Pii V. in Const. 'Cum primum' *diei 1. Apr. an. 1566. § VI.* ubi decernitur cadavera collocanda esse in tumba profunda subtus terram, et capsas sive deposita vel alia conditoria posita supra terram esse removenda. In sepultura enim debet verificari humatio.

De quarta funeris.

6. Jus exequendi funeralia ex sensu tituli pertinet ad Ecclesiam, in qua cadaver sepelitur, et Ecclesiæ ipsi cedunt emolumenta quæ ex funere obveniunt. Cum vero non deceat, ut Ecclesia a qua fidelis vivens pabula salutis accepit, careat emolumentis in morte, hinc in jure inductum est ut cum cadaver in sepulchro electivo, vel sepulchro proprio aut majorum sepelitur, ac proinde in aliena Ecclesia persolvuntur funera, parochus proprius fidelis defuncti recipiat portionem canonicam eorum omnium, quæ occasione funeris lucrata est alia Ecclesia in qua fidelis sepelitur *c. c. 1. 4. 8. 10. h. t. et Clem. Dudum 2. h. t.*

7. Quodsi quis duplex habuerit domicilium, et elegerit sepulturam in tertia parochia uterque parochus jus habebit ad canonicam

portionem, ita nempe ut quarta funeraria debeat æque dividi inter parochos *c. 2. h. t. in 6^o*. Quod si vero quis elegerit sepulturam vel moriatur in una ex duabus parœciis Parochus alterius dimidiam portionem canonicam exigere non potest. Ita tenuit S. Congr. Conc. die 12. Sept. 1881. (Acta S. Sedis vol. 14. pag. 215). Ratio est, quia Ecclesia in qua fidelis moritur, et cadaver sepelitur, utitur jure suo et aliam Ecclesiam prævenire censetur.

8. Porro varietas in sacris canonibus habetur circa quantitatem hujus portionis. Ubi consuetudo aliter non disponat ex *c. 11. h. t.* portio canonica erit quarta. Ratio est quia magis communiter a canonibus quarta portio designatur, et quod maximum est a Tridentino in *cap. 13. sess. 25. de Ref.* quarta designatur. Porro quarta funerum solvitur etiam ex emolumentis quæ obveniunt ex funeribus quæ persolvantur diebus 3^o, 7^o, et 30^o, quia hæc videntur comitari ipsam depositionem cadaveris. S. Congr. Concilii in *Firmana, funerum 18. Julii 1744 § hæc habet*. Computatur autem quarta funerum solum de illis rebus, quæ ratione funeris solent asportari in Ecclesiam. Tales sunt candelæ, intorticia, vestes et ornamenta quibus decoratur feretrum defuncti. Non præstaturo vero quarta de eleemosynis missarum vel relictis piis ad onera missarum persolvenda. Ita in specie statutum est pro Ecclesiis regularium in *Const. Rom. Pontifex Bened. XIII. an. 1725*.

9. Hanc quartam funerum monasteria non solvunt quæ vel per quadraginta annos non solverunt ante Tridentinum vel postea speciale privilegium habuerunt. Hæc conclusio infertur ex *cit. loco* ejusdem Concilii. Insuper per quadragenariam proxim potest ab aliqua Ecclesia præscribi jus contra Parochiam non solvendi hanc quartam. *Cap. 4. De præscript.*

10. Animadvertimus vero per institutionem communis cœmeterii non fuisse derogatum juribus funerum perficiendorum in Ecclesiis ubi ceteroquin sepultura habuisset locum. Solummodo immutatio materialis facta est quoad locum ita ut cœmeterium repræsentet illam Ecclesiam in qua cadaver sepeliri debuisset, si cœmeterium non fuisset institutum. Unde Ecclesia quæ habebat jus sepulturæ, habet jus funeris perficiendi, et percipiendi emolumenta ita ut Parocho defuncti salva sit solum quarta funeraria. Ita censuit S. Congreg. Conc. in *Deithonen. 24. Maji 1821*. Ita in *Forolivien. funerum 26. Jan. 1833*, ita novissime in *Aesinat. Juris funerandi prop. die 26. Nov. 1864* necnon in *Tiphernensi*

dici 16. Febr. 1867. Ex quibus resolutionibus liquet, 1^o. posse adhuc fideles sibi eligere Ecclesiam in qua persolvantur solemnia funeris et hoc in casu illa Ecclesia tenet locum sepulturæ electivæ. Unde emolumenta funeris cedunt electæ Ecclesiæ reservata Parocho domicili quota funeraria. 2^o. Si per injuriam aut ignorantiam funera celebrata sint in Parœcia defuncti, Ecclesia in qua cadaver debuisset tumulari si non adesset lex tumulandi in communi cœmeterio, jus habet repetendi omnia emolumenta funerum relicta Parocho, salva quarta eorundem emolumentorum. Ita in identica specie decisum est in *cit. Aesinat. Juris funerandi 26. Novemb. 1864*.

11. Sepultura prout jus dicit est: 'Jus competens omnibus catholicis pie demortuis, ut eorum cadavera in loco sacro et religioso sepeliantur'. Fides enim in futuram corporum resurrectionem optimo jure suasit separationem animæ a corpore esse considerandam ceu temporaneam, et cadaverum pie defunctorum conditoria habenda esse ceu loca dormitionis in quibus expectant immutationem, seu novam vocationem ad vitam. Hinc Ecclesia voluit, ut cadaverum pie defunctorum conditio spectanda esset ceu quædam continuatio illius conditionis, qua fideles viventes in participatione bonorum spiritualium ad invicem consociabantur. Hinc juxta canones principium inductum est ut '*quibus non communicavimus vivos, non communicemus defunctis*'; *c. 12. h. t.* Quare quemadmodum nulli licet perturbare communionem viventium Catholicorum, et per injuriam fidelibus piis adjungere in sacris rebelles, et ejectos homines, ita etiam nefas est violare sepulchra Catholicorum pie demortuorum per injectionem cadaveris illius, qui extra communionem mortuus est. Catholici ergo cohærenter ad principia propriæ professionis debent habere sepulchra, seu cœmeterium proprium ac distinctum ab heterodoxis.

12. Verum hodie cœpit impugnari hoc jus catholicorum, per injuriam quidem sed apparenti quadam ratione. Dictum scilicet est, cœmeterium esse proprium Municipii coram quo, cum omnes municipes sint æquales quemadmodum omnes cives sint æquales coram lege status et gubernii, ita etiam nullam faciendam esse distinctionem inter cadavera demortuorum ex varietate professionis religiosæ. Municipium enim in cœmeterii constructione solummodo præ oculis habere debet bonum publicum, et præsertim publicam hygienem.

13. At hæc ratio admitti nequit. Nam sciendum est, regulam de nulla facienda separatione cadaverum inter catholicos, et acatholicos propositam fuisse et propugnari a guberniis et Municipiis, quæ profitentur libertatem cultus, et conscientiæ. Quo posito ex hoc ipso principio, quod tamen theoretice est falsum et impium, demonstramus corruiere argumentum in materia nostra ab adversariis contra catholicos adductum. Sane posito principio libertatis conscientiæ catholici habent jus, ut Municipium non lædat nec impediatur exercitium religiosæ professionis propriæ. Ita ex. gr. non potest Municipium cogere municipes ut unam potius quam aliam religionem sequantur, et publice profiteantur, nec impellere omnes diversarum professionum indiscriminatim ut in unum eundemque locum conveniant sacra peracturi. Jamvero depositio, et sepultura cadaveris catholici hominis tum ex sensu fidei, tum ex Ecclesiæ dispositione tum ex communi Catholicorum persuasionem, uti supra vidimus, est res religiosa et ingreditur ipsam practicam religiosam professionem. Ergo Municipium quod tuetur libertatem conscientiæ, non potest cogere catholicos, ut compleant actum contra propriam fidem et persuasionem, sepeliendo nempe cadavera in loco profano et confuse cum acatholicis. Uno verbo Municipium ex principio libertatis cultus debet tueri catholicos in eorum publica professione religiosa, non autem eos inquietare et spernere in tanto negotio. Nemo autem negabit sperni catholicam professionem quoties cadaver catholici hominis pie defuncti confunditur cum cadaveribus hæreticorum, apostatarum et infidelium, præsertim cum hæc confusio propugnetur ab hostibus religionis catholicæ in spretum et injuriam religionis ipsius.

14. Ratio autem adducta ab adversariis solummodo evincit catholicos non posse distinctum locum pro sepultura exigere cum præjudicio boni publici et præsertim publicæ hygienis. At nemo dicet bonum publicum turbari aut hygienem publicam impediri, si in spatio telluris designato pro humandis cadaveribus portio quædam per septa separetur in qua cœmeteria catholicorum fidelium construantur.

15. Jus sepulturæ ecclesiasticæ est pro catholicis pie demortuis. Hæc autem regula sumenda non est in sensu affirmativo, quatenus positive constare debeat de catholici hominis pia dormitione, sed in sensu negativo quatenus nempe non constet impie demortuum fuisse; *arg. cap. 12. h. t.*

16. Et quidem prohibitio sepulturæ ecclesiasticæ procedit ex duplici capite. Scilicet quidam excluduntur a sepultura ecclesiastica ob defectum communionis ecclesiasticæ, alii autem excluduntur in pœnam quia habentur tamquam publici peccatores. Ex primo capite 1º. excluduntur omnes infideles, et in genere omnes non baptizati. Hoc in censu sunt etiam habendi filii catholicorum demortui absque baptisate, nisi nondum extracti ab utero matris cum matre demorianur. Tunc enim cum matre sepeliuntur. Pariter non privantur sepultura ecclesiastica infantes catholicorum quibus collatum fuit baptisma sub conditione. Communis autem doctorum sententia excludit ab ecclesiastica sepultura etiam catechumenos ex defectu baptismatis nisi habuerint baptismum flaminis vel sanguinis.

2º. Privantur jure sepulturæ ecclesiasticæ hæretici, schismatici, et apostatæ. Ipsi enim viventes abscissi censentur ab unitate Ecclesiæ idest fidei, et communionis. Hinc pro ipsis valet principium cap. 12. h. t. *Quibus non communicavimus vivis, nec communicamus defunctis.* Expresse vero dispositio prohibens legitur in *cap. 8. et 13. § Credentes. De hæreticis.* Immo in iisdem locis interdicitur sepultura ecclesiastica receptoribus, defensoribus et fautoribus hæreticorum. 3º. Ex *c. 12. h. t.* excluduntur excommunicati ob allatum principium, nisi cum Ecclesia saltem in articulo mortis fuerint reconciliati. Quod si cadaver alicujus excommunicati et non reconciliati fuerit sepultum in cœmeterio christiano, exhumandum esse, ait Pontifex, si ab aliis discerni possit et alibi, extra locum sacrum humandum esse; *conf. c. 12. h. t.* Verum doctores intelligunt caput de notorie excommunicatis, non autem de occulte excommunicatis. Nam pœna publica non applicatur nisi ob causam publicam. Quæstio a doctoribus instituitur, utrum dispositio *c. 12.* undequaque vigeat adhuc post Const. *Ad evitanda Martini V.*

17. Summus Pontifex distinxit inter excommunicatos vitandos et non vitandos. Vitandos dixit 1º nominatim excommunicatos; 2º. publicos percussores Clericorum, seu illos, quorum factum percussione nulla tergiversatione possit celari. Ceteros excommunicatos licet notorios non vitandos dixit, seu abstulit a fidelibus obligationem eosdem vitandi. Hoc posito quæritur an privati censeantur jure sepulturæ ecclesiasticæ excommunicati notorii sed non vitandi. Viderentur privati non esse, quia ipsis applicari non

potest principium Innoc. III. *Quibus non communicavimus vivis etc.* Permissa enim est communicatio cum excommunicatis toleratis. At in sensu Bullæ Martini V. aliter solvenda quæstio esse videtur. Martinus V. in ultimis verbis Bullæ ait 'Per hoc tamen excommunicatos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodocumque suffragari'. Igitur ipsis excommunicatis notoriis et non vitandis ex Const. Martini nullum jus accessit; ergo nec sepulturæ. Quoniam vero cum ipsis vivis communicare impune possunt fideles, hinc a pari non erit interdicta communicatio cum ipsis demortuis, scilicet parochus aut alius pœnas canonicas non incurrit quoties sepulturam ecclesiasticam concessit eisdem excommunicatis toleratis. At propinqui ejus exigere non poterunt, ut sepulturæ ecclesiasticæ mandetur illius cadaver.

18. Hanc nostram conclusionem confirmat Const. Pii IX. *Apostolicæ Sedis* quæ censuras latæ sententiæ coarctat. Etenim Pontifex implicite aufert pœnam excommunicationis latæ sententiæ expressam in *Clem. 1. De sepult.* contra eos qui in loco sacro sepulturæ mandant publice excommunicatos, et eandem pœnam decernit solummodo contra *mandantes* seu *cogentes* tradi *ecclesiasticæ sepulturæ nominatim excommunicatos*. Excommunicatis notoriis æquiparandi sunt interdicti personaliter *cap. 20. De sent. excomm. in 6º*. præsertim vero *nominatim interdicti* ex dispositione *Clem. 1. h. t. et cit. Const. Apostolicæ Sedis*.

Adnotandum hac in re est, antiquo jure juxta *c. 12. h. t.* ad assequendum jus sepulturæ ecclesiasticæ requiri reconciliationem cum Ecclesia modo solemnem factam. Facienda autem erit coram proprio presbytero seu parochio juxta *c. 14. h. t.* Hodie autem sufficit, si excommunicatus, vel interdictus in articulo mortis absolutus fuerit a quocumque sacerdote. *Thesaurus, De pœnis, pars prima c. 24. n. 4.* Immo non est deneganda ecclesiastica sepultura, quoties evidentia pœnitentiæ, et resipiscentiæ signa dederit juxta dispositionem *cap. 29. De sentent. excomm.* Reconciliatio autem quæ vivente fidei fieri non potuit, expletur in cadavere, adhibitis ritibus in sacra liturgia designatis. Quemadmodum in sensu *cap. 28. De sent. excomm.* declaravit S. Congr. EE. et RR. in Nolana *19. Julii 1619.* Verum si censura erat occulta, vel saltem non fuerat denunciata ad tribunal ecclesiasticum, nec provenerat ex notoria percussione Clerici, utilis quidem, sed necessaria non est absolutio et reconciliatio post mortem delinquentis.

Et ratio adducitur a Thesauro *loc. cit. n. 5.* scilicet absolutio non datur directe mortuo quia ob resipiscentiam jam præsumitur coram Deo absolutus sed absolvitur mortuus in ordine ad fideles viventes, ut licite possint communicare cum defuncto, preces pro eodem effundendo, sanctum sacrificium applicando etc.

19. Secundo loco privantur jure ecclesiasticæ sepulturæ publici peccatores. Unde 1º. excluduntur: usurarii publici seu manifesti *c. 3. De Usuris.* Et quidem licet eos pœniteat ante mortem, et mandent restitui male perceptas usuras; et solummodo admittuntur vel quando ipsi restituerint ante mortem, vel idoneam cautionem dederint restitutionis faciendæ pro modo et viribus patrimonii sui *c. 2. De usuris in 6º.*

2º. Injusti detentores decimarum quæ Ecclesiæ debentur nisi restituerint *c. 19. De decimis,* necnon raptores ecclesiarum, qui non satisfecerunt *c. 2. et 5. De raptor.* — 3º. Raptores et fures in crimine deprehensi et occisi *c. 2. De furtis* necnon incendiarii *can. Pessimum. caus. 23. q. 8.* — 4º. Maledici seu blasphemii *c. 2. de Maledicis.* — 5º. Regulares qui demoriantur cum peculio nec rebus temporalibus ante mortem renunciaverint.

20. 6º. Suicidæ, seu qui sibi mortem intulerunt *c. 11. et 12. c. 23. q. 5.* nisi tamen constet, eos furore actos id peregissee, aut saltem insania, et mentis aberratione *can. Illa. causa 15. q. 2.* Porro hanc insaniam benigna mater Ecclesia facile præsumit. Insuper animadvertendum est ipsum suicidium numquam præsumi, sed esse probandum, seu constare debet cadaver repertum revera mortuum fuisse ex suicidio. Privatio enim sepulturæ est pœna publica quæ non nisi crimini publice cognito potest applicari.

21. 7º. Qui annualem confessionem et paschalem communionem culpabiliter omiserint *cap. 12. De pœnis et rem.* Docent vero auctores magnæ notæ hanc pœnam privationis sepulturæ non esse latæ sententiæ, aut saltem non posse parochum sine ordinarii mandato excludere a sepultura cadaver illius qui sacramenta omisit. Ratio est quia parochus non habet jurisdictionem in foro externo, ac proinde non potest pœnam privationis sepulturæ infligere quæ procedit ad modum censuræ. Cæterum excludi non potest cadaver illius, qui ante mortem signa dedit pœnitentiæ, et unus saltem testis de pœnitentia deponat. *Cf. Thesaurus, De pœnis v. sacramentum c. 2.*